

fas referri debere videmus, vel ad sermonis Graeci inscitiam, vel ad negligentiam et incuriam, vel denique ad ineptum quendam nimiumque amorem certorum verborum et formularum, quae ut omnibus librorum veterum locis legantur, quamuis inuito rerum orationisque ingenio, multos, qui optent, reperiri videas. Eo loco *), quo Hercules, philosophus Tyrius, usus purpurae inuentor, ambulasse dicitur in littore et ora Tyria, leguntur plerisque in libris haec verba, *ἑωριζόμενος γὰρ ἐπὶ τὸ παράλιον μέρος τῆς Τύρου πόλεως*. sed Dresigius, qui cum Tollo et Galeo putaret, verbum *ἑωριζόμενος*, quod sensu commodo careret, ferri non posse, edere ex ingenio ausus est *ποριζόμενος* quum tamen haec correctio non modo sit superuacanea, sed etiam vanissima. Nam primo verbum *πορίζεσθαι* a nemine scriptorum veterum vsquam vsurpatum reperitur de ambulatibus et euntibus: sed non possumus ipsi verbis attribuere, vel potius affingere, potestates, quibus nostram emendandi libidinem adiuuari aliqua ex parte posse intellexerimus. Deinde *ἑωρίζεσθαι* elegans verbum est, naturaeque ambulationis atque itionis accommodatissimum; cui quin ambulandi notio olim subiecta fuerit, eo minus dubitari potest, quum in Hesychiano Glossario extet glossa, vnde cunque etiam sit petita, haec, *Ἐωρίζεται μετεωρίζεται, ἀναπατεῖ*. Ii enim, qui eunt et ambulant, eleuant pedes et totum quodammodo corpus attolunt a solo. *Ἐωρίζεσθαι* autem, quod verbo *ἀείρειν* originem debet suam **), proprie dici intellegitur de
iis,

*) C. 52, 1

**) V. Etymolog. M. in vocab. *μετεωρισμός*.